

pterea totum ag gregatum ab ortu in occasum mouetur, & non singuli cæli, quia nimirum videmus motū istum comunem esse omnibus cælis, oporteret eos eadē ratione asserere, omnes octo cælos, tanquā vnum totum, ab vna intelligentia ab occasu in ortum circumduci, quandoquidem omnes octo cæli in eodem tempore, eademq; uelocitate ab occidēte in orientem feruntur; immo multo maiori vniformitate, & equalitate, quam ab ortu in occasum, quod tamen admittere nulla ratione volunt. Relinquenda est ergo & hæc sententia tanquā impossibilis, & quæ non omnia phænomena tueri possit.

QVAPROPTER aliter cū Astronomis doctioribus de motibus cælorum dicendum erit. Dicimus igitur, duos præcipuos motus in genere, eosq; notissimos, in cælis obseruari, vnum videlicet ab oriente in occidentem, alterum vero ab occidente in orientē; (De motu enim illo accessus & recessus, qui obseruatus fuit in octaua sphaera, quoniam difficile, & vix a peritissimis deprehenditur, nunc nihil dicimus, sed eum paulo post exponemus, cum periodos omnium motuum assignabimus) Quorum prior proprius est, ac peculiaris primo mobili, seu decima sphaera; Vnde & primus motus dici solet. Mouetur enim decima sphaera, seu primum mobile simplicissimo tantū, ac regularissimo motu ab oriente per meridiem in occidentem, & hinc rursus per medianam noctem in orientem; Qui quidem motus conficitur super polos mundi, & per circulum æquinoctialem in die naturali, hoc est, spacio 24 horarum, circa terram semel, propter quam causam motus diurnus vulgo appellari consuevit. Hoc autem motu primum mobile, seu decima sphaera omnes alias nouem inferiores sphaeras secum rapit ab oriente in occidentem sine ulla resistētia, singulis diebus circa terram semel; qui quidē motus dicitur hisce inferioribus sphaeris conuenire per accides, & non per se, cum non sit ipsarum proprius, sed ab extrinseco ipsis adueniat: Mouentur enim raptu, seu motu primi mobilis; nonsecus, ac ij, qui in nauis, aut curru sedentes ad motum nauis, seu currus rapiuntur, ac deuehuntur. Quod si a primo mobili non circūferrentur, nullo pacto mouerentur ab oriente in occiden.; quemadmodū nec illi, qui in nauis, siue curru sedent, si non moueretur nauis, aut currus, deueherentur, sed immobiles permanerent. Posterior vero motus proprius est nouem inferioribus sphaeris, & nullo modo decime sphaerae, siue primo mobili conuenit. Primo enim illi motui videntur reluctari quodammodo omnes inferiores